

quenter summi æterniq; boni fruitio-  
ne frustretur excidatque.

## CAPUT II.

## DE LAPSU ET APOSTASIA

Adami.

Rom. 5. *Sicut per inobedientiam  
unius hominis, peccatores consti-  
tuti sunt multi : ita & per unius  
obedientiam, justi constituentur  
multi.*

**P**Ecatum Adami est, inobedientia  
adversus Deum, per quam se homo  
à Deo avertit ad seipsum, factus fur-  
honoris divini, dum se Deum facere  
vult ; exspoliatus imagine Divina sive  
perfecta hæreditariaq; justitia & san-  
ctitate; cæcus, quoad intellectum; im-  
moriger<sup>9</sup> & contumax Deo quoad vo-  
luntatem; denique quoad vires cordis  
universi, à Deo hostiliter alienatus a-  
versusq;. Quæ abominatio in omnes  
homines per carnalem generationem  
propagatur & transit necessitate hære-  
ditaria, facitq; ut homo sit spirituali-  
ter mortuus, filiusq; iræ & condemnationis,  
nisi Christus ipsum redemerit.

Caveant proinde simpliciores Chri-  
stiani

B f

stiani